



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCLXXX. Ioannis Papae VIII. Ad Livtvvardvm Episcopvm. Gratias agit, quod dederit operam, vt imperator in Italiam ad ecclesiae defensionem veniret.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA CCLXXX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD LIVTVVARDVM EPISCOPVM.

Gratias agit, quod dederit operam, vt imperator in Italiam
ad ecclesiæ defensionem veniret.

Liutuuardo episcopo.

STUDIO tuo (quod cum spiritali filia nostra imperatrice,
sicut asseris, vt dominus imperator pro defensione san-
ctæ Romanæ ecclesiæ ingrederetur Italiam, habuisti)
gratias agimus, & vt quod deest, stet quod te minime la-
tet, tua instantia perficiat, multum hortamur: quia tan-
tum nobis necesse est, quantum docere non valemus.
Vnde ita age, vt tibi magis ac magis gratias referamus, &
in temporalibus commodis vicissitudinem reddere inui-
temur.

EPISTOLA CCLXXXI.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD GENEVENSES.

Præcipit vt Optando episcopo a se consecrato obediant.

Clero & populo Geneuensi.

DILECTISSIMI filii nostri Caroli imperatoris, princi-
pumque ipsius relatu, vestram ecclesiam viduatam
cognoscentes pastore, & propter dissensionem Bosonis,
cui sociatus eiusdem sedis videtur metropolitanus, ordi-
nationem electi vestri Optandi differre, auctoritate &
potestate apostolica, secundum deprecationem eiusdem
serenissimi imperatoris, filii scilicet nostri spiritalis Caro-
li, atque optimatum eius, præcognita vestra omnium in
eodem Optando electione, & qualiter idem serenissimus
imperator eidem ecclesiæ electionem perenniter de pro-
prio clero donauerat, diutius ipsa ecclesia ne viduata ma-
neret pastore, consecrauimus eum sancti Spiritus gratia,
& ad regendum vos pastoraliter instructum direximus,
quem deuote & vnanimiter suscipientes, obedientes ei,
vtpote proprio patris spiritali sitis in omnibus; faluo dein-
ceps eiusdem loci priuilegio antiquo propriæ metropolis,